

G. Hultström  
okt. 1919.

DISSE<sup>T</sup>ATI<sup>O</sup> 2.  
DE  
*LIBERTATE CUM NECESSITATE  
CONCILIANDA,*

CUJUS

PARTEM PRIMAM,  
CONS. AMPL. FACULT. PHILOS. ABOËNST,

*publico examini modeste offerunt*

*Mag. FREDRICUS BERGBOM,*  
*Philos. Theor. & Pract. Adjunct. Ordin.*

ET

*ERICUS GUSTAVUS ENEBERG,*  
*Borea-Fenno.*

In Audit. Philos. d. xviii Decembris MDCCXIII.

h. a. m. f.

---

ABOÆ, typis FRENCKELLIANIS.

KONTRAKTS·PROSTEN  
OCH  
KYRKOHERDEN ÖFVER WEHMO FÖRSAMLING  
HÖGÄREVÖRDIGE OCH HÖGLÄRDE  
HERR MAGISTER  
*ISAAC ENEBERG*  
SAMT  
HÖGÄDLA FRU PROSTINNAN  
*ANNA SOPHIA ENEBERG,*  
FÖDD ALANUS,

MINE HULDASTE FÖRÄLDRAR!

*Mottagen desfa blad, såsom en ringa men välmēnt görd af den  
tacksamhet jag så lifligt känner mig de bästa Föräldrar skyldig.  
Mätte jag någon gång kunna gifva Eder fullkomligare prof af  
den sonliga kärlek, erkänsla och vördnad, hvarmed jag framlefer*

EDER

Ödmjukt-lydligste Son  
*ERIC GUSTAF.*



*U*t omnis quidem, ex continua ista, quæ primo jam,  
quo concium sui evadit subjectum, reflexionis vo-  
luntatisque actu, sublata originaria naturæ & intelligen-  
tiæ harmonia, in mente oritur oppositorum pugna, prin-  
cipiique realis & idealis discordia, originem dicit philo-  
sophia, ita nullo non tempore eam, partim in relativis,  
quæ in conscientia deprehenduntur, oppositis investigan-  
dis accuratiusque determinandis, partim in oppositione  
eorum acrius explicanda & in altiore quadam identitate  
restinguenda, præcipue occupatam fuisse videmus. Ulti-  
mus vero & supremus, ad quem omnis tam theoretica  
quam practica philosophia spectat finis, is sine dubio est,  
ut purum absoluti omnis antithesis expertis effingat con-  
ceptum, omnemque sic oppositorum, in quæ absolutum  
reflexione originaria disjicitur, discordiam in harmoniam  
dissolvat completam, quin omnia etiam nobiliora cultu-  
ræ humanæ elementa, intellectus abstrahendi nisi dissolu-  
ta atque divulta, in organismum interiore quadam vita  
animatum indissolubilem, arctissimo unitatis vinculo con-  
jungat; quod ut fiat, ad illud necesse est progrediatur  
reflexio punctum, quo absolute oppositorum in reflexio-

A

ne

ne antithesis, cum identitate eorum absoluta in unum incidat, ipsumque adeo absolutum, omni in idea ejus relativitate sublata, forma absoluta pure concipi possit. Ejusmodi autem opposita, quæ apprime reflexionem vexarunt philosophantem, quibusque conciliandis impensam nullo non tempore philosophi dederunt operam, licet frustra plerumque, quamdiu in angusta abstractionum inferiorum (quæ absolutam illam absoluti formam necesse fari antecederent, eam utpote summam preparantes), investigatione occupati, relativitatis ambirum egredi non valuerint, opposita vero numquam reflexionis puncto plane coalescant, sed in infinitum potius continentur, variis generis quæque ætas, pro varia cujusque cultura, in medium protulit. Quæ vero sic sub spiritus & materiæ, animi & corporis, rationis & sensualitatis, rerum per se & phænomenorum, fidei & intellectus, virtutis atque felicitatis, innumerisque sub aliis formis, reflexio procreavit opposita, progrediente cultura, in subjectivitatis & objectivitatis, idealitatis & realitatis antithesin transierunt.

Hæc autem idealitatis & realitatis antithesis, practice considerata & ad supremam formam erecta, per libertatis & necessitatis repugnantiam exprimitur. Cum vero nulla umquam ratione, hæc libertatis & necessitatis antithesis, reflexionis vulgaris intellectusque molimine, in altiorem quandam identitatem resolvi possit, absoluta illa haud immerito habetur antithesis & omnium, quæ in mente, ut primum philosophiam procreavit reflexio, oriuntur, contradictionum suprema, quam ob rem reliqua quoque omnia, ut neminem facile harum rerum peritum fugere potest, quæ vel supra attulimus, vel præterea inconscientia deprehenduntur opposita, eandem hanc antithesin, alia licet sub forma, magis minusve pure exprimunt.

munt. Licet autem absoluta hæc sit libertatis & necessitatis oppositio, nec ulla aliqua ratione in statione intellectus vulgaris extingui possit, nullaque eam in hac statione permanens unquam in altiorem identitatem resolve valuerit philosophia, tamen eam, quoniam omnis altioris mortalium spei in libertate vertitur cardo, quasi plane non solvendam relinquere philosophia nequit. Utique enim, libertas scilicet & necessitas, simul assimi non possunt, absolute enim sibi repugnant, utraque alteram tollit, quæ vero retinenda sit, quæque rejicienda, facile haud est perspectu. Si enim necessitatem, exclusa libertate, amplectamur, fatalismo constringimur ineluctabili. hominique vivendi ratio aheneis necessitatis vinculis alligata, neque turpis haberi potest neque honesta, parique omnino passu culpa ambulat & innocentia, & quocunque unquam pio pectori sanctum sit atque venerandum, extinctum prolabitur & explosum. Immutabili ejusmodi necessitate dominante, non virtutes modo & vitia, officia & jura, laudes & vituperationes, totaque doctrina moralis, in casum aliquid & inanis vocis sono decoratum abeunt, sed omnia quæ in homine præclara & magnifica, alta atque egregia estimantur, quæ amore veneratione digna habentur, dictu potius speciosa sunt quam vera: quæ enim emortui tantum mechanismi effectus sunt, mirari quidem ea possumus, haud vero magni facere, amoremque prosequi & cultu. Si e contrario, rejecta necessitate, libertatem solum retinere velimus, in indifferentissimum necesse est incidamus absurdum, qui omnem rationis usum necessario tollit, omnemque in cognitione humana realitatem, unitatemque & scientiam omnem. Neutram igitur alterius causa relinquere possumus, libertatem enim vindicandam inextinguibilis postulat cuiusque, hominem qui sese agnoscit, pectori inhærens penitusque insitus personalitatis sensus, necessitatem autem

conservandam ratio poscit, absolutam in conscientia humana unitatem requirens & harmoniam. Quæ autem opposita sibi invicem, simul consistere nequeunt. Hæc igitur difficultas, cum reflexioni vulgari, quæ ultimam subjecti & objecti antithesin perfringere non valet, insuperabilis sit, alia via insistendum est, punctumque ascendendum sublimius, ubi opposita in puram & completam commutentur identitatem, eaque arctissime coalescant, quæ reflexioni alias diversa occurunt, ad eamque igitur exsurgendum philosophiam, quæ originariam esse demonstrat identitatem subjectivi & objectivi, adventiciam vero diversitatem, licet ad conscientiam excitandam & propagandam necessariam & in ipsa identitate jam expressam, quæque sola forsan, relativa omnia ad absolutum referendo & ab eodem derivando, completam, absolutæ intuitionis evidentia, subjectivitatis & objectivitatis oppositione evanescente, libertatis & necessitatis harmoniam exhibere potest.

Ad completam vero ejusmodi libertatis & necessitatis harmoniam efficiendam, satis non erit, liberi arbitrii cum necessitate empirica causalitatisque successivæ mechanismo conciliandi viam reperiisse, quod licet & illud in dogmatismo nullo modo præstari possit, minoris forsan, philosophia critica & idealismo transcendentali facem præferentibus, est difficultatis, sed ad liquidum quoque demonstrandum est, quomodo libertatis notio cum absoluti idea, quodque ex ea derivandum est, totius cognitionis philosophicæ systemate consistere possit & cohære, ne scilicet difficultas in loco inferiore oppressa, mox in altiore recurrat, novaque oriatur repugnantia. Cum ex animo humano exuri non possit Divinitatis idea, nec opprimi in eodem ullo modo absolutæ realitatis desiderium, huic vero desiderio satisfacere facile non pos-

possit fidei illa subjectivitas, ad quam fugere videmus philosophiam criticam & idealismum subjectivum FICHTI, alia mox, liberi arbitrii cum necessitate empirica pugnajam sublata, manente supra hac absoluti & subjecti oppositione, major quidem quam procul intuentibus forsan videtur, oriatur difficultas, facile enim haud est perspectu, quomodo possit cum Divinitatis absolutæque realitatis idea tuenda, libertas consistere subjectiva. Hæc vero antithesis licet latius pateat & plures comprehendat disquisitiones, prælenti tamen occasione præcipias tantum modo earum, leviter transeuntes perstringemus. Plurima scilicet philosophantium pars, qualemcunque certroquin Divinitatis foveant ideam, modo veritatem sincere velint proferre, omnibus fere quas Deo tribuant proprietatibus, omnipotentiæ e. gr., præscientiæ, sanctitati cet. repugnare sibi videri libertatem individuam necesse est confiteantur. Absoluta enim in una essentia posita causalitas infinitaque vis, non nisi absolutam ceteris necessario relinquat passivitatem & dependentiam, quæ igitur a se minime gentium esse posunt aptæ, nec in sua ullo pacto potestate, sibique parere, sed aliunde necesse est habeant agendi patientique rationes suspenias. Accedit huc, quod non nisi continuata perpetua creatione res creatæ esse perseverare cogitari possint, qua quidem creatione res finitæ, non ut indeterminatum aliquid, sed ut singulares & determinatæ, certis definitisque cognitionibus, nisibus & actionibus procreantur. Huic quæstiōni alia proxime conjuncta est, e libertatis ad occultæ cuiusdam necessitatis vim relatione oriunda, qua omnia quæ sunt, certa & in æternum dicta lege decurrere vindentur, ratisque moderari ordinibus, quaque homines etiam, libere quamvis agendo, invitissimi tamen longe aliud quam spectent efficere coguntur, prudentissimaque eorum incepta, quæ magno conatu omniq[ue] ope & opere:

pere perficere enituntur, irrita fiunt turpemque habent exitum. Quomodo exlex igitur iste & infinitus, qui in singularibus hominum actionibus conspicuus est libertatis iusus, effrenataque liberi arbitrii licentia, altiori cūdam necessitatī ita obtemperet, ut occulta ejus præpotentique vi, ad fixam quandam & ultimam dirigatur metā, philosophiæ injunctum est enodare, eamque sic libertatis cum necessitate harmoniam explicare, quam historiæ idea involvit, quæque in successiva ista, quam historiæ est delineare, concipitur progressionum serie, continuaque mundi relativi evolutione, qua sese manifestat absolutum. Cum realis autem libertatis notio ea sit, ut in boni malique facultate consistat, dilucet, veram libertatis theoriam sibi non posse, nisi simul malum quid sit, ejusdemque origo explicetur, quaque ratione cum sanctitate bonitateque Divina consistere possit ostendatur, res quidem difficilis ac multum & lèpe quæsita. Qualis enim cunque cogitetur rerum creatarum ad Naturam Divinam relatio, alterum, ut quidem videtur, necesse est oriatur e duobus; ut scilicet aut omnis mali bonique discrimen tollatur, aut Deus aliquam saltem ad partem mali causa & origo habeatur; ad dualismum enim absolutum confugere, non est philosophari.

Primariis vero his, quas singulatim jam, leviter licet, attigimus, in libertate vidicanda obvenientibus difficultibus sublati, ceteræ quoque omnes, quæ ex diversis oriri possint philosophiæ locis, facile evanescent. Patet vero simul, nisi præcipuis his tolendis difficultatibus, cum universo rationis systemate i. e. cum absoluta ex omni parte necessitate libertatis exhibeat harmonia, ne notionem quidem libertatis puram erui posse sibiique constantem, sed mancam illam necessario mansuram & impeditam, quod illi haud reputavisse videntur, qui ad doctrinam

doctrinam moralem condendam omnibus numeris absolutam sufficere putant, ut libertas fide practica tantum postuletur, firma enim & inconcussa nisi jeceris fundamenta, quicquid superstruxeris corruet. Cum enim nulla unquam sola determinari possit notio, nisi ejus cum systemate quoque, ad quod pertineat, simul respiciatur nexus, intelligitur utramque disquisitionis partem hic ut ubique esse conjungendam. Sunt vero plures postremi haudquaquam nominis philosophi, qui usitatum illud & lèpe decantatum referunt, non posse libertatem non plane inimicam systemati esse, vel uila unquam ratione cum eo consistere, unamquamque vero philosophiam, quæ unitatem profiteatur & totalitatem, libertatem necessario sublaturam. Libertatis autem notiones jam perse & in genere systematis notioni repugnare, vel ideo, facile non crederes, quod, cum cohærent aliqua ratione inter se rerum universitas atque libertas individua, non possit non aliquid in divino saltem intellectu esse systema, quocum concinat libertas. Qui vero ad idealismum subjectivum confugiunt, omneque etiam in intellectu vel voluntate entis cuiusdam originarii systema repudiant, singulares tantum modo admittentes voluntates, adeo ut uniuscujusque *Ego* absolutam constituat substantiam, non possunt & ipsi diu vocem supprimere rationis, unitatem requirentis absolutam, magis quam libertatis personalitatisque sensum animo humano inditum, quominus eadē quæ evitari voluit sensim redeat quæstio. Sic idealismus quoque subjectivus FICHTIL unitatem quodam modo agnoscere cogebatur, licet eam in ordine quodam universi morali tantum quærat, qua vero re non potuit non in maximas incidere inconsequentialias mirisque implicari repugnantias. Apparet igitur plane necessariam, neque unquam negligendum, quasi solvi non posset, philosophiæ esse problema: quomodo possit cum abso-

absoluta, quæ rationis essentiam constituit, unitate, vel (quod idem est) cum absoluta ex omni parte necessitate conciliari libertas, quantumvis licet, contrariae, quæ supra attulimus, sententiæ, veritatis speciem, irrita tot, maximorum suaque arte consummatisimorum philosophorum circa hanc quæstionem conamina præbere videantur. Quod vero si unquam solvi non possit problema, non tantum vera perspicuaque erui nequit libertatis notio, totaque doctrina moralis vacillans erit sibique inconstans, sed omnis omnino philosophia, tam theoretica quam practica, realitate careat necesse est, unitateque & totalitate, nec ullo modo in indissolubilem illum systematis organismum redigi potest, qui solus veram stabilemque efficit scientiam. Perobscuram vero hanc esse quæstionem & perdifficilem, utpote quæ summum omnis philosophiæ culmen, ut dicam, & cacumen constituat, vel ex allaris jam facile dilucet. Cum autem omnium fere, quæ in philosophia obveniunt, quæstionum, maximi hæc videantur esse momenti, firmum præsertim quærentibus & stabile philosophiæ practicæ fundamentum, adeoque, multum licet antea a multis deliberata, saepaque agitata, ad novam tamen semper alliciat considerationem, non potuimus quin, idoneam ad vires in philosophia exercendas circumspicientes materiam, hanc potissimum eligeremus, ea quidem freti spe, fore nobis summam ipsius materiei difficultatem, aliquid saltem apud benevolas lectors, si ex ansis excidamus conciliaturam excusationis. In hac vero quæstione tractanda, ita nobis animo constitutum est versari, ut & libertatis cum necessitate pugnam acerrime explicemus, & hujus pugnæ dirimendæ simul periculum ineamus, summorum hujus memoriarum philosophorum, KANTII nimirum, FICHTII atqne SCHELLINGI vestigia prementes, quorum immortalibus sine dubio meritis debetur, si philosophiæ tandem uila aliqua immensi hujus problematis solvendi, patefacta sit via.

Prima

Prima igitur quæ in libertate cum necessitate concilianda fese præbet difficultas, ex acri ejus cum causalitatibus empiricæ lege oritur inimicitia, cum ferrea scilicet hæc lex, quæ causas & effectus per omnem Naturam a hinc vinculis connectit, animum etiam humanum variisque ejus motus, imperio suo subjectum tenere videatur. Rerum enim considerantes naturam, omnia necessitate fieri videmus & effici, ubique fatalem quandam perspicientes & immutabilem ordinis sempiterni continuationem, adeo omnino, ut quicquid accidat, id ex æterna veritate, causarumque continuatione fluxisse videatur. Singulæ enim quæque res, singulas definitasque habent proprietates. Quocunque igitur est, ab omni parte determinatum est, certisque finibus circumscriptum & terminis; est quod est, nec aliud quidquam. Natura autem continua obnoxia mutationibus, novas perpetuo induit formas, continua determinationum serie procedens. Hacrum autem determinationum, ex alia in aliam mutationes & vicissitudines, fortuitæ minime gentium sunt, sed rigidis omnino aligatae legibus, immutabili necessitate constrictis. Quocunque igitur in rerum natura obvenit, necessario est, quod est, nec fieri potest, ut aliud sit. Definita consistit Natura phænomenorum serie, qua alia ex aliis ita necuntur, ut unumquodque ab antecedente determinetur, quod se proxime sequatur, id pariter determinans. Quemlibet rerum statum, alter necesse est antecedat status, omneque esse ab alio explicandum est esse, nihil enim de nihilo oriiri potest, sed omnia quæ sunt, causis necesse est fiant antecedentibus & necessariis. Quocunque temporis momento natura totum aliquod est & cohærens, cuius individua quæque pars, talis qualis est, eam ob causam est, quod ceteræ ejus partes omnes tales sunt atque sunt. Quid? nonne omnia in rerum natura, quæ sunt, quæ fuerunt, quæque futura sunt, ita alia

B

ex

ex aliis nexa, & ita omnia inter se apta colligataque sunt, ut ne arenulam quidem minimam alium tenere locum, quam tenet, cogitare potueris, nisi tam praesentia, quam præterita omnia & futura simul cogites immutata. Ego met ipse cum omnibus, quæ mihi ut me attribuo, æterna hac naturæ necessitate manantium implicitus sum causarum effectuumque serie. Sum & ipse ab omni parte determinatus, certoque temporis momento ortus. Nec ipse quidem per me meaque sponte ortus sum, sed eadem generatus naturæ vi, qua omnes ex se illa fundit paritque res. Quando vero, quibusque nascendi conditionibus, & quibus instructus proprietatibus, fuerim ortus, quibusque hæ proprietates, quoad vivam, obnoxia sint mutationibus, universalis illa naturæ vi, omnium rerum creatrice & parente, causarumque continuatione ab omni æternitate fluentium, quæ aliæ ex aliis aptæ, immutabilique necessitate nexæ, prohibent quicquid cadere se. Fieri non potuit, ut aliud meo loco existisset, nec fieri potest: ut, qui jam ortus sum, unquam aliquando alius sim, atque rerum serie tractus futurus sum. Quod vero mentis atque rationis munere præ ceteris animantibus ornatus sim, nihil horum mutat. Quicquid demum sit in me illud, quod cogitat, quod volt, quod viget, cum tamen herbarum proventus animaliumque motus peculiari bus quibusdam efficiantur naturæ viribus, quid impedit quominus conscientia quoque cogitandique facultas, peculiari cuidam originem debeant naturæ vi. Explicari quidem non potest, quomodo naturæ quædam vis cognitionem producat, neque vero facilius explicatu, qua ratione plantarum formas animaliumque motus procreet. Nihil aliud sum, quam quod originaria hæcce vis, quæ cum aliis quibusdam naturæ viribus ad harmoniam conjuncta, hominis gignit naturam, certis sub conditio-  
nibus

nibus non potuit non fieri. Sum igitur qui sum, quoniam in ista, cuius nexibus implicatus sum & constrictus, omnium rerum copulatione & serie, propter causas naturalem in se cohibentes efficientiam, alias fieri non potui; nihil autem unquam futurus sum, cuius non causas id ipsum efficientes natura contineat. Infinita quædam mens, quæ colligationem causarum omnium perspicere, rerumque cursum & eventorum consequentiam omnem, ex quolibet vitæ meæ momento colligere posset: quis ante hocce momentum fuerim, quis post ipsum per omnem æternitatem futurus sim & qualis, quid acturus, quid appetitus, quid denique passurus. Ineluctabili igitur necessitatis vi, quis sim, quis fuerim, quisque futurus sim, definitum est & constitutum. Quod vero libertatis conscientia sim, potest forsitan & id ex his explicari principiis. Libere enim agere, quid aliud est, quam ex naturæ suæ legibus agere? Si nihil igitur impedit, quomodo naturales istæ vites, quæ conjunctæ humanam efficiunt naturam, quatenus in me efficaces sunt, ex suis agant legibus, liberum me sentio meæque postestatis, limitibus autem circumscriptum & coactum, si hæ ad naturam meam pertinentes vires, aliis naturæ viribus cohibet & opprimit, contra leges suas agere cogantur & ipsæ sibi pugnare. Libertatis quidem conscientia sum, meæque me potestatis esse sentio, sed libertatem locum habere non posse, coeque omnia fieri necessitate, ratio cogit fateri, in qua vero, quoniam ipsius conscientiae exhibet explicationem, est acquiesendum. Negari non potest, homines, ut air SPINOZA a), eam solum ob causam liberos esse credere, quod actionum suarum concii sunt, causarum

B. 2

au-

a) B. D. S(pinoza) Opera Posthuma, CICICCLXVII. p. 99.

autem, a quibus determinantur, ignari<sup>b)</sup>). Cum vero non plures tantum & inter se diversæ in homine efficaces sine naturæ vires, sed hæ ipsæ extrinsecus simul religatae a causis externis pendeant, externisque & adventiciis excitentur stimulis, fieri non potest, quin sæpe, sibimet invicem oppositæ, in contraria nitantur, sibique invicem pugnant. Varii igitur sæpeque in diversa tendentes in homine necessæ est orientur nîus, qui quidem, quatenus consciæ eorum sumus, appetitus dicuntur; alterius autem pugnantium virium supra alteram victoria voluntatis decretum appellatur. Si suprema autem ista, quæ homini præ ceteris animantibus propria est vis, rationisque nomine insignitur, victoriam reportet, ceterasque omnes, quæ ad humanam na.

---

b) "Concipe, sagacissimus idem ait Philosophus Iapidem (qui a causa externa, ipsum impellente, certam motus quantitatatem accepit, qua postea, cessante causæ externe impulsu, movetur), dum moveri pergit, cogitare, & scire, se, quantum potest, conari, ut moveri pergit. Hic sane lapis, quandoquidem sui tantummodo conatus est conscius, & minime indifferens, se liberrimum esse, & nulla alia de causa in motu perseverare credet, quam quia vult. Atque hæc humana illa libertas est, quam omnes habere jactant, & quæ in hoc solo consistit, quod homines sui appetitus sint consciæ, & causarum, a quibus determinantur, ignari. Sic infans se lac libere appetere credit; puer autem iratus vindictam velle, & timidus fugam. Ebrius deinde credit, se ex libero mentis decreto ea loqui, quæ postea sobrius tacuisse vellet. Sic delirans, garrulus, & hujus farinæ plurimi se ex libero mentis decreto agere, non autem impetu ferri credunt. Et quia hoc prejudicium omnibus hominibus innatum est, non ita facile eodem liberantur. Nam quamvis experientia satis superque doceat, homines nihil minus posse, quam appetitus moderari suos, & quod sæpe, dum contrariis affectibus confluantur, meliora videant, & deteriora sequantur, se tamen liberos esse credunt, idque propterea, quod res quasdam leviter appetant, & quarum appetitus facile potest contrahi memoria alterius rei, cuius frequenter recordamur." B. D. S(pinozæ) Opera Posthuma, CICICLXXVII. p. 584, 585.

naturam pertinent vires ita sibi habeat subjectas, ut illa præsit, hæ vero obtemperent, unaque tantum sic efficiatur vis atque potestas, quæ sublatis disfidiis omnibus concors sibi & consonans, sola in homine dominetur, conveniens humanæ naturæ, ut facile apparet, hæc omnium virium humanarum contentus & unitas est, virtusque, non tam solido tamen, quam splendido nomine, appellatur. Si sublata autem humanarum virium harmonia, inferior quædam hominique cum aliis rebus, herbis e. gr. vel animalibus, communis vis, akius fœle efferens nimisque emergens rationi præcurrat, vixique in animo exultet, actio, quæ sic oritur, naturæ humanæ contraria est, vitiique nomen adipiscitur. Quæ vero quaque vice præponderet atque prævaleat vis, voluntarium non est nec in nostra potestate positum, sed irrevocabili, qui omnia vehit, causarum cursu implexaque serie, inexorabili lege definitum. Quæ cum ita sint, fieri non potest, ut individui cujusdam hominis in potestate appetitus sint ejus, nec igitur quæ appetitu efficiantur, virtutes scilicet & vitia, ab ipso pendeant, sed causis in rerum natura & mundo inclusis ineluctabili necessitate hæc omnia determinata esse, per se patet. Hoc tamen non impedit quominus virtus virtus sit, vitium autem vitium. Qui virtute enim præditus est, præstantem habet ille naturam & optimabilem, qui vitiis vero obrutus, turpem & averlandam, utramque autem immutabili determinataque omnium rerum serie & copulatione oriundam; in nostra enim potestate magis non est mentem sanam, quam corpus sanum habere.

Rigidæ vero huic & indomitæ, quam pro modulo virium explicuimus, quamque revera locum habere & ratio convincere & experientia probare videtur. Quæ vero, cum in nostra non sint potestate actiones nostræ, effici appetit, ut nec laudationes justæ sint, nec vituper tro- nes,

mes, nec honores, nec suppicia, quomodo possit conciliari libertas realitasque vindicari doctrinæ moralis, jam nostrum est ut consideremus. Hinc autem vulgarem istam libertatis theoriam, quæ illam in facultate quadam animi ponit, oppositarum voluntatis determinationum alteram absque ulla ratione eligendi, exitum haud reperire posse, ex allatis jam satis superque dilucere putamus <sup>c).</sup>

Ad

<sup>c)</sup> Bene quidem, ut solet, de hac libertatis doctrina SCHELLING<sup>s</sup> "Der gewöhnliche Begriff der Freyheit, nach welchem sie in ein völlig unbestimtes Vermögen gesetzt wird, von zwei kontradicitorisch Entgegengesetzten, ohne bestimmende Gründe, das eine oder das andre zu wollen, schlechthin bloß, weil es gewollt wird, hat zwar die ursprüngliche Unentschiedenheit des Menschlichen Wesens in der Idee für sich; führt aber, angewendet auf die einzelne Handlung, zu den größten Ungereimtheiten. Sich ohne alle bewegende Gründe für A oder — A entscheiden zu können, wäre, die Wahrheit zu sagen, nur ein Vorrecht, ganz unvernünftig zu handeln, und würde den Menschen von dem bekannten Thier des Buridan, das nach der Meinung der Vertheidiger dieses Begriffes der Willkür zwischen zwey Haufen Heu von gleicher Entfernung, Grösse und Beschaffenheit verhungern müßte, (Weil es nämlich jenes Vorrecht der Willkür nicht hat), eben nicht auf die vorzüglichste Weise unterscheiden. Der einzige Beweis für diesen Begriff besteht in dem Berufen auf die Thatssache, in dem es z. B. jeder in seiner Gewalt habe, seinen Arm jetzt anzuziehen oder auszustrecken, ohne weiteren Grund; denn wenn man sage, er strecke ihn, eben um seine Willkür zu beweisen, so könnte er ja dies eben so gut, in dem er ihn anzöge; dass Interesse, den Satz zu beweisen, könnte ihn nur bestimmen, eins von beyden zu thun; hier sey also das Gleichgewicht handgreiflich u. s. w.; eine überall schlechte Beweisart, in dem sie von dem Nichtwissen des bestimmenden Grundes auf das Nichtdaseyn schließt, die aber hier gerade umgekehrt anwendbar wäre: denn eben, wo das Nichtwissen eintritt, findet um so gewisser das Bestimmtwerden statt. Die Hauptssache ist, dass dieser Begriff eine gänzliche Zufälligkeit der einzelnen Handlungen einführt und in diesem Betracht sehr richtig mit der zufälligen Abweichung der Atomen verglichen worden ist, die Epicurus in der Physik in gleicher Absicht erfassn, nämlich dem

Ad istiusmodi enim probandam libertatem nihil afferri potest præter ipsius electionis phænomenon, quod scilicet multas solciper possumus actiones, licet nullius conscientissimus causæ, quæ nos ad has actiones præ ceteris suscipiendas impellere possit. Quod vero quantum a vera abhorreat ratione, facile apparet. Cum nullus enim sine causa esse possit effectus, ideoque voluntatis quoque determinatio & actio quævis, e repræsentationibus necessario oriuntur antecedentibus, quæ vero una cum tempore quo existierunt elapsæ, agentibus nobis in nostra amplius non sint potestate, efficitur, in ipso determinacionis agendique momento, nullam locum habere posse eligendi potestatem causis determinantibus liberam. Quod vero causas voluntatem nostram determinantes ignoramus, id minime gentium absentiam earum probat. Præterea hujusmodi libertas indifferentia vel æquilibrii, ut vocatur, qua, omni sublata necessitate, forte omnia evenirent & temere, casus est absurdus, omnem rationem evertens, omnemque in cognitione humana unitatem tollens & realitatem, fortuita enim quæ sunt, & esse possunt & non esse. Huic doctrinæ determinismus supra allatus oppositus est, & si unum e duobus sequi oportet, multo quidem potior apud nos hic foret, qui unitatem faltem profitetur, sibique, inferiore certe reflexionis puncto considerata, constantior est, magisque cohærens, utraque autem altiore illam ignorant necessitatem, quæ a casu æque remota est, ac a vi quadam cogente vel extrinsecus de-

Fatum zu entgehen. Zufall aber ist unmöglich; wiederfreiset der Vernunft wie der notwendigen Einheit des Garzen; und wenn Freyheit nicht anders, als mit der gänzlichen Zufälligkeit der Handlungen, zu retten ist, so ist sie überhaupt nicht zu retten." F. W. J. SCHELLINGS philosophische Schriften. Erster Band. Landskut, bey Philip Krüll. p. 463 &c.

determinante, quæ potius interna quædam est ex essentia ipsius agentis oriunda nece sita, eaque simul absoluta libertas; quæ realiter scilicet considerata libertas, formaliter autem necessitas est. Liber enim est qui ex naturæ suæ legibus tantum agit, & nulla alia re vel intra vel extra se determinatur. Hinc ista in cuiusque conscientia obveniens libertatis & necessitatis conjunctio. Quisque enim satis conscius est, se necessario talem esse atque est, nec potuisse se aliter agere atque egit, & nihilo minus libere se egisse fareatur necesse est. Sed hæc adhuc apparere non possunt, pertexenda igitur nobis primo sunt quæ exorsi sumus.

Istam igitur, quam proposuimus, de libertate cum cæco necessitatis empiricæ mechanismo concilianda, quæstionem, cum omnium, quæ ante Philosophiam sic dictam Criticam, viguerant, Philosophiæ systematum, nullum unquam solvere valuerunt, multique haud ignobiles philosophi, omni explicandæ ejus spe abscista, præsumta desperatione, solvi eam non posse putarent, summus pulcherrimæ hujus, quæ ingentem non philosophiæ tantum, sed totius culturæ hodiernæ effecit commutationem, disciplinæ, auctor, Cel. KANTIUS, novam prorsus, nondum tritam solvendæ ejus ingressus est viam, certamque reperit rationem, qua & libertatem tueretur & necessitatem nihilo minus retineret. Sagacissimus hic philosophorum facile princeps, primus sine dubio & explicatiorem libertatis exhibuit notionem, & in eam illam evehit regionem, qua sola rationi non repugnat. Licet enim libertatem supremum haud fecerit principium, nec illam, quæ FICHTIO debetur, Subjecti-Objecti pure semetipsum absolute ponentis distinctam conceperit notionem, nec igitur libertatem in actione æterna & absoluta, ex qua universa pendet conscientia, ultimo esse querendam satis per-